



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. Quomodo Confessio Sacramentalis sit necessaria necessitate
præcepti divini?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS II.

Quomodo Confessio Sacramentalis sit necessaria necessitate præcepti divini?

- I. Jure divino positivo præcepta nobis est Confessio.
- II. Hoc præcepto ligantur omnes, & soli Fideles post lapsum: Præceptum vero Communionis etiam Infideles ligat, ita ut etiam vi hujus præcepti debeant baptizari.
- III. Quandonam obliget præceptum divinum Confessionis?
- IV. Quomodo Medici monere debeant infirmum de confessione facienda?

I. **D**E fide est, Confessionem mortaliū non solum esse a Christo Domino institutam, sed etiam ab eodem præceptam; unde jure divino obligat. Constat ex Trident. sess. 14. can. 6., ubi habetur: *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, &c. Anathema sit.* Unde infertur, non jure divino naturali, sed jure divino positivo esse præceptam; tum quia ex nullo capite probari potest hoc præceptum naturale; tum etiam, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est de jure naturæ, sed ex sola divina institutione, quæ solum in novo testamento locum habet. In veteri autem testamento, quamvis fuerit lex offerendi Sacrificium pro peccato, immo & confitendi aliqua peccata ad auferendas aliquas irregularitates annexas; nunquam tamen fuit instituta, aut præcepta confessio singulorum mortalium, etiam interiorum in ordine ad remissionem quoad culpam.

II. Quaritur nunc primo; Quinam obligentur præcepto divino Confessionis?

Respondeo, omnes, & solos lapsos in mortale post Baptismum obligari, ut habetur ex Trident. sess. 14. cap. 5. Quare de fide est, etiam Hæreticos, & Apostatas hoc præcepto astringi: quamvis enim non sint Christianifideles, sed Infideles; sunt tamen lapsi in mortale post Baptismum. Communis etiam sententia docet, Infideles non baptizatos hoc præcepto non obligari ex defectu materiæ, quia scilicet non habent peccata commissa post Baptismum, quæ confiteri teneantur. Unde infero, præceptum divinum Communionis latum iis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.*, ligare omnes, etiam Infideles, qui etiam ex hoc capite tenentur baptizari, ut satisfaciant præcepto Communionis; At non tenentur baptizari, ut satisfaciant præcepto Confessionis; quia non tenentur post Baptismum ad Confessionem absolute, (sicut tenentur ad Communionem) sed solum sub conditione, quod post Baptismum peccaverint.

III. Quaritur secundo; Quo tempore præceptum divinum Confessionis obliget?

Respondeo, certum esse obligare in articulo, vel probabili periculo mortis, ut communiter docent Doctores; quia aliter exponeret se peccator periculo nunquam confitendi, & adimplendi hoc præceptum. Extra articulum vero mortis præceptum hoc divinum non obligare per se censent D. Th., Scotus, alique graves Theologi cum Dicast. disp. 7. dub. 2. quia scilicet nullum est fundamentum talis obligationis; cum possit vi contritionis peccator se Deo reconciliare. Verum communius docent cum Suario, etiam extra articulum mortis obligare, quia gravis injuria videtur irrogari tali Sacramento, si nunquam peccator eo utatur; præsertim quia de contritione ex se difficili non habetur fir-

firma securitas.

Dubium tamen est; Quandonam extra articulum mortis obliget? Alii putant, quod tempore ab Ecclesia determinando; Alii statim post peccatum commissum; Alii quoties periculum est, ne peccator peccati commissi obliviscatur. Equidem cenfeo juxta dicta quaest. 3. art. 1., cum de obligatione contritionis extra mortis articulum, arbitrio prudentis tempus hoc decernendum inspiciendo necessitatem, & opportunitatem, quam habet peccator illud suscipiendi.

Demum praecipuum divinum Confessionis obligat per accidens, tum antequam sumatur Eucharistia; tum etiam in eventu, quo aliter superari moraliter non posset tentatio, aut reincidentia in peccatum.

IV. Sciendum hic, quod ut praecipuum Confessionis in articulo mortis ab omnibus satisfiat, voluit post Constitutionem Innocent. III. Pius V. anno 1566., ut juramentum exigatur a Medicis ante gradum doctoratus, quod monituri sint infirmos, ut confiteantur, & quod non sint illos visitaturi ultra tertium diem, nisi ipsis constet de facta confessione per fidem in scriptis. Et in hac Neapolitana Diocesi transgressio hujus juramenti reservatur sine censura.

Advertendum tamen ex Suar., Sanchez. & aliis relatis a Dian. part. 3. tract. 4. resol. 43. primo, Medicum posse per alios fide dignos infirmum monere. Secundo non teneri ad hanc monitionem, nisi infirmitas sit gravis, vel in principio sit morale periculum, quod fiat gravis. Tertio, non teneri monere, nec deferere infirmum, si nulla sit spes, quod ille sit confessurus, & probabile mortis periculum imminet, si deferatur. Quarto, in usu jam esse, ut medicus non exigat in scriptis fidem confessionis, sed satis sit testis fide dignus: Juramentum

denique servandi hanc constitutionem Pii V. non obligat, nisi ad servandam prout jam usu recepta est.

ARTICULUS III.

De Praecipuum Ecclesiastico annuae Confessionis.

- I. Sub quibus poenis Ecclesia Confessionem quotannis praecipiat?
- II. Num Ecclesia ad Confessionem annuam obliget eos, qui moraliter non deliquerunt?
- III. Num saltem isti presentare se debeant Parocho?
- IV. Quomodo relate ad hanc obligationem annus computandus sit.
- V. Qui aliquo anno Confessionem omisit, ad quid deinde tenetur?
- VI. An teneatur prevenire, qui praedictam defuturam copiam Confessarii?
- VII. Praecipuum Ecclesiastico Confessionis obligantur etiam Haeretici Excommunicati, Meretrices, Pueri, dummodo sint doli capaces.
- VIII. Impuberes non incurrunt penas latas contra hujus praecipui transgressores.
- IX. Poena ista quanam sint? Et an ipso facto incurrantur? An etiam ab eo, qui sicte confiteatur?
- X. Num teneamur confiteri aut per Interpretem, aut per Scripturam, si aliter non possimus?
- XI. Quibus de causis a Confessione annua excusari possimus?

I. **C**onfessionem singulis annis praecipuum esse ab Ecclesia definit Trident. sess. 14. cap. 5., & can. 8. contra Durand., qui putavit esse consilium, non praecipuum. Quod constat etiam, quia ejus transgressores gravibus poenis puniuntur. Nam *Viventes arcentur ab ingressu Ecclesiae, & morientes carent Ecclesiastica sepultura*, ut habetur in cap. Omnis viri usque